

nem, propter misericordiam animam suam turbavit ad compassionem. In carne sua doluit pro nobis patiando, in mente sua condoluit nobis compatiendo, et quemadmodum carnis infirmitas in ipso secundum affectum naturæ noluit pœnam suam, sic mentis pietas secundum affectum misericordiæ noluit miseriam alienam. Sicut enim calicem passionis secundum carnis voluntatem a se transferri postulabat, quem non transferendum præsciebat, sic sententiam condemnationis secundum pietatem aliis mitigari orabat, quam immutabiliter prævidebat. Pietas enim quod suum erat operabatur miserando, et ratio quod suum erat sequebatur divinæ dispositioni obediendo. Propterea nihil contrarietatis erat. Si Christus homo secundum affectum pietatis quam in humanitate sua assumpserat, aliquid volebat quod tamen secundum voluntatem divinam in qua cum Patre omnia disponebat futurum non esse præsciebat; quia et hoc ad veram humanitatem pertinebat, ut pietate moveretur, et hoc ad veram divinitatem pertinebat, ut a sua dispositione non moveretur. Itaque secundum utrumque fecit quod debuit. Neque ideo sibi contrarius fuit si secundum pietatem humanitati congruam voluit, quod secundum justitiam divinitati debitam noluit: quia et hoc velle, et illud nolle utrumque voluit. Scriptum est: *Jesus autem infremuit spiritu et turbavit semetipsum (Joan xi)*. Hic intendite: *Turbavit semetipsum (ibid.)*. Quomodo turbavit? Quæ fuit ista turbatio qua semetipsum turbavit Jesus? Pietas ipsa, miseratio ipsa fuit turbatio. Bona turbatio, bene turbabatur qui pietate movebatur? Turbavit seipsum. Miseratio turbavit eum, et ipse semetipsum turbavit, qui miserationem sponte

A suscepit. Sicut tradidit semetipsum, quando Judas tradidit eum: sic turbavit semetipsum quando miseratio turbavit eum. Notum est hoc et frequenti usu probatum. Dicitur homini quando aliquid patitur: Tu teipsum turbasti; tu tibi fecisti malum hoc. Sic Jesus semetipsum turbavit, quando miseratio turbavit eum quam sponte susceperat; et semetipsum tradidit, quando ille tradidit cui ad tradendum potestatem concesserat. Sic itaque Jesus in humanitate assumpta quandiu eam passibilem portare voluit secundum proprietatem humanitatis et passionem in carne et compassionem in mente portavit. In qua tamen modo ad immutabilitatem translata nec pati potest ad corruptionem, nec compati ad turbationem. Quoniam Christum secundum hominem novimus et patientem et compatiem novimus (*II Cor. v*). *Defecerunt, inquit, sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt (Psal. ci)*. Dies defecerunt propter passionem; ossa aruerunt propter compassionem, propter passionem mortua est caro, propter compassionem arefacta est anima. Dolor compassionis quasi frixura quædam animæ fuit, qua urebatur miseratione, premebatur compassionem, siccabatur desperatione; desperatione dico non propter se, sed propter illos, qui nec in malo corrigendi, neque a malo erant liberandi. In his omnibus Christum secundum carnem novimus quando veram humanitatem et in vera humanitate veram portavit mortalitatem (*II Cor. v*). Nunc autem eam secundum carnem non novimus, postquam *resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod autem vivit, vivit Deo (Rom. vi)*.

DE SAPIENTIA ANIMÆ CHRISTI.

AN ÆQUALIS CUM DIVINA ERIT.

PRÆFATIO.

Prudenti ac religioso verbi divini inter cæteros et præ cæteris scrutatori G. Hugo peccator. Aliquoties accidisse comperi, ut rerum difficilium tractatione aut insipientia relatoris auditorem corrumpere, aut temeritas auditoris relatores infamaret. Quapropter æque cavendum mihi videtur, ut potissimum illic ubi sine periculo aliud sentiri non potest, nec facile nostra præsumamus asserere, nec aliena temere judicare. Novi enim « quanta, » ut dicit beatus Augustinus, « somnia cor humanum pariat; » atque eo iudicio quo in sui cognitione fallitur, cætera quoque quæ præter ipsum sunt, non recte conspiciuntur. Quid enim hoc esse putatis, quod de rerum veritate tam diversa sentire solent homines?

D unquid nomina est veritas? Ecce (ut interim de Deo taceamus) quid est quod dialectica tot diversas et tam adversas, ne dicam perversas habet sententias? Nunquid omnes noverunt unum id quod est, sed amore fallendi diversa finxerunt? Non sic ego puto. Sed narrant quique somnia sua, et ea qua primum ipsi in se opinione decepti sunt postmodum alios nescientes seducunt. Et sicut beatus Job amicis suis arrogantibus et de se plusquam oportebat præsumptibus dicit (*Job. xii*), jam non solum secundum morituram, sed exortam quoque a se sapientiam putant. Dignum ergo est ut id ipsum in nostra nos assertionem reddat timidos, quod in unius assertionem veritatis tot jam videmus esse diversos. Quia enim de longe veritas videtur, diversa iudicia parit, et tantum de ipsa quisque potest, quantum

ipse est. In nobis quippe quod de rerum cognitione percipimus, et eo modo, cordis intellectus de iis quæ extra sunt ad veritatem indicant, quo se interius animus in repræsentatione figurat. Unde necesse est, ut dum mens interius corrupta prave afficitur, intellectus quoque in iudicio eorum quæ foris sunt, decipiatur. Hæc ipsa est eausa quæ etiam aliquando in unitate sensuum controversiam verborum generare solet, quæ tamen tunc magis venialis fit, cum pertinax non fuerit. Hanc igitur nos qui verbi Dei tractatores et inquisitores veritatis esse videmur, si inter nos torte (ut assolet) aliquando invenerimus citius in idipsum redeamus, ne, si cœperimus nostra dicta pertinaciter defendere, aliud putemur sapuisse. Illud quod de anima Christi charitas vestra a me quærere dignata est, jam pridem inter quosdam sapientes ventilatum fuisse didici, atque ex illis quid senserint quibus magis credendum esse existimamus, tum aliis de ipsis, tum ipsis de se referentibus agnovi. Ego autem cum sæpius hac quæstione pulsari soleam, talem me esse profiteor qui nollem hinc aliquid ab omnibus vel tam curiose ac superstitiose inquiri, vel tam fidenter asseri. Unde nunc quoque gemina in hac re consideratione coarctor, cum videam me et prudentiæ tuæ debere silentium, et bonitati responsum. Inter hæc ipsa etiam rei difficultas occurrit, quæ fortassis non poterit a me ut decet compendiose discuti, cum ego si modum in dicendo transiero timeam superstitiosus videri. Volo tamen et multo magis volo aliqua in parte inscitæ argui, quam charitatis contemptor videri, et verba incompta habere, quam cor perversum.

SEQUITUR *Decisio quæstionis de anima Christi, utrum æqualem cum divinitate scientiam habuerit.*

Quæris de anima Christi, id est de illo rationali spiritu, qui humanam in Christo homine carnem vegetavit, quem Verbum cum carne et in carne ipsa sibi in unitatem personæ univit, ut esset Christus unus in una persona, duabus naturis, tribus essentiis : una videlicet persona ; quia idem homo, propter quem suscepit, et Deus ; propter quod fuit duabus naturis, divina scilicet atque humana, in Deo et homine uno, non unis ; tribus essentiis, divinitate, carne, et anima : sine separatione discretis, sine confusione sociatis. De illa inquam anima, qua mediante *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. 1) ; quæritis utrum æqualem cum divinitate scientiam habuerit. Adjicitis etiam, quod si illa anima quæ, quamvis creatrici naturæ ineffabiliter unita fuerat, indubitanter tamen creatura erat, æqualem cum divinitate scientiam habuerit, tunc nimirum creatura Creatori æqualis fuit : non posse autem Creatori facturam suam in æqualitate comparabilem fieri etsi potuerit in consortium unitatis assumi. Longe aliud esse uniri dignatione et comparari majestate. Multa sunt alia quæ in hunc modum fortasse absurda ostendere potuisti. Sed ego sic una tecum falsa refellere cupio, sicut vera profiteri. Quo-

A modo enim Deus immensus esset, si ad ejus æqualitatem aliqua quamlibet excellens, quamlibet singularis creatura pertingeret ? *Magnus*, inquit Psalmista, *Dominus est, et magna virtus ejus ; et sapientiæ ejus non est numerus* (Psal. cXLVI). Et Salomon : *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Deum* (Prov. XXI). Ubi quantum non est, tantum dici quod potest ? Portio quæritur ubi numerus non invenitur. Sapientiæ ejus non est numerus. Quid igitur dico ? Anima Christi aut creatura non fuit, aut Creatori æquari non potuit. Imo vero quia creatura est, Creatori non dico æquanda, sed plus audeo dicere, etiam comparanda non est. Ergo dicitis, minorem habuit sapientiam quam verbum ? Sed quæso quid dicimus, cum animam sapientem dicimus ? Nunquid non sapientia sapientem dicimus ? Quis enim sapiens est, si sapientia sapiens non est ? Et tamen aliter sapiens est in quo sapientia est, aliter sapiens est qui sapientia est. Creatura sapiens est, quia in ipsa sapientia est. Creator vero sapiens est, quia ipse sapientia est. Nullus tamen sine sapientia sapiens esse potest, sive ea quam habet, sive ea quæ ipse est. Anima igitur Christi si sapiens est, imo quia est, aut illa procul dubio sapientia sapiens est, quam habet, aut illa quæ ipsa est ? Creatura autem, etsi participatione sapientiæ sapiens est, ipsa tamen sapientia esse non potest. Quæ igitur est illa sapientia, qua anima Christi sapiens est ? Quid dicit Joannes de Verbo ? *Erat, inquit, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. 1). Quid est Verbum nisi sapientia ? Idem enim qui verbum Dei a Joanne dicitur, ipse sapientia Dei a Paulo nominatur. *Christum enim, inquit Paulus apostolus, Dei virtutem et Dei sapientiam* (I Cor. 1). Christus igitur ipse et Verbum, et ipse est sapientia. Verbum sapientia, et sapientia Verbum. Verbum sapientia, quia, *Eructavit cor meum verbum bonum* (Psal. XLIV). Sapientia verbum quia, *Ego sapientia ex ore Altissimi prodii. primogenita ante omnem creaturam* (Eccli., XXIV). Sapientia igitur verbum cordis et verbum sapientiæ oris, quia dum verbum ex corde et sapientia ex ore prodire dicitur, idem esse sapientia et verbum demonstratur. Itaque si verbum illuminat, sapientia illuminat ; quia nec illuminare verbum poterat, si sapientia non erat. Quid enim facit verbum sine sapientia ? Verbum sonat, sapientia illuminat. Nam et ipsa sapientia lux est, et Deus lux est, quia Deus sapientia est ; et cum Deus illuminat, sapientia illuminat, et luce illuminat : nec alia luce illuminat, se ea luce quæ ipsa est ; quia lux est, et verbum lux est, et sapientia lux est ; quia verbum sapientia est, et sapientia Deus est. *Erat, inquit, lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc modum. Quid igitur ? Malos illuminat lux ista, et malos Deus illuminat ? Quomodo ergo cæci sunt ? Audi quid sequitur : Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* (Joan. 1). Quid est, lux in tenebris lucet ? Et quid tenebræ faciunt si lux ibi est ? Et

tenebræ eam non comprehendunt. Tamen ipsa A lux lucet et illuminat, sed non omnes eam vident qui vident per eam. Lux lucet, et per se sciamus quod per se lucet, et ex se illuminat. Lucet : lucet per se, et illuminat ex se. Nam ut erat, inquit, lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joannes lux erat ; quia *vos estis lux mundi* (*Matth. v*), sed vera lux non erat ; quia *lucerna erat ardens et lucens* (*Joan. v*) ; nec per semetipsam lucens, et ex semetipsa illuminans, ut lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quos dixit ? Bonos non dixit, nec spiritales : sed omnem hominem venientem in hunc mundum. Unus est enim sol, et omnis oculus per eum irradiatur, sed non omnes qui per eum vident agnoscunt eum. Similiter lux vera, B quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, cunctis superfunditur, in omnes clarescit, universos illustrat ; sed alius per eam videt, alius eam videt. Mali illuminantur ut cætera videant ; ipsum per quem vident, non videant, quia lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Boni vero illuminantur, ut eum videant a quo, et per quem vident, ut ad eum referant, et in eo ament omne quod vident, et eum ament super omne quod vident. Omnes ergo per eum illuminantur qui vident, sed excellentius qui eum vident. Per eum illuminantur qui vident, et ex eo illuminantur, quia ipse est lux a quo illuminatur. Unde autem lux illuminaret, si ex semetipsa non illuminaret ? Unde illuminaret, si id quod C ipsa est participandum non præberet ? Sed forte timendum est, ne polluat ab immundo, ne obscuretur a tenebroso ; et indignum sit ut profanis sanctum coinquinatis impollutum, errantibus verum communicabile dicatur. Superfluo ista cogitantur, quia lux quæ in tenebris lueet, sicut non obscuratur a tenebroso, sic non corrumpitur a contaminato, in tenebris clara, et inter sordes incoinquinata perseverans. Nam, cum omnia in ipsa et in omnibus ipsa sit, ei tamen universæ creaturæ nec turpitudine turpis est, nec malitia nocet, nec error errat. Lucet ergo et illuminat, nec per aliud. nec ex alio ; sed hoc quod ipsa est, et quo ipsa lucet omnibus illuminandis communicandum præbet, et totum ipsa D possidet. Audite iterum : *Dominus*, inquit Scriptura, *dat sapientiam* (*Dan. ii*). Quam sapientiam forte aliquod accidens dat quo nos afficimur, ut sapientes efficiamur.

Quid enim est sapientia ? Nonne accidens ? Dat ergo Dominus sapientiam. Quam sapientiam ? *Omnis sapientia a Domino Deo est* (*Eccli. i*). Bene quia omnia accidentia a Domino Deo sunt a quo sunt omnia quæ sunt. An forte quoddam accidens a Deo non est, quia peccatum ab ipso non est ? Omnis tamen sapientia a Deo est. Quomodo ab ipso est ? Forte quia donum ejus ab ipso est ; quia factura ejus est, ab ipso est ; et omnis substantia ab ipso est ? Quid magnum ? quid novum ? quid mirum dictum est ? Omnis sapientia a

Domino Deo est ; si accidens quoddam ab ipso est a quo omnis substantia est ? Quomodo ergo omnis sapientia a Domino Deo est ? Aut quia opus ejus, aut quia donum ejus ? Si sapientia creatura est, stultitia quid est ? Creavit Deus sapientiam, et non creavit stultitiam ? Ergo quædam accidentia Deus creavit, alia esse habent, et ab ipso non habent. Quis hoc aut dicere præsumat, aut dictum approbet, quod aliquid esse habet et a Deo non habet ? Quid dicimus ? Deus ergo accidentia non creavit ; et alter quidam est Creator sapientiæ, Deus dator ? Erga dare sapientiam Deus potuit, creare non potuit ? Ergo aliunde accepit quod dedit, et dedit quod suum non fuit, et accipere potuit quod non habuerit. Quis hoc dicat ? Quis sani capitis hoc vel in cogitationem suam admittat ? Qualiter ergo omnis sapientia a Domino Deo est ? Sive quia donum ejus est, sive quia factura ejus ? Nam si factura est, non semper est, quia quod aliquando cæpit, non semper esse habuit. Quid ergo ait ? Omnis, inquit, sapientia a Domino Deo est : *et cum illo fuit semper, et est ante ævum* (*ibid.*), Mirum est : ergo accidentia semper cum Deo fuerunt ; et si accidentia semper cum Deo fuerunt, substantiæ non fuerunt. An omnis sapientia a Deo est, et non omnis sapientia cum Deo est ? Absit. Sed omnis sapientia ab illo est, et omnis sapientia in illo est, et omnis sapientia cum illo est, et semper est. Et quid facimus de sapientia quæ accidens est ? Nunquid non ipsa semper cum Deo est ? Quomodo ergo Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum ? Quid ergo de illa facimus ? Excludamus ab adyto sapientiæ insipientiæ figmenta et phantasias, has nescio quales et somnia vana, quæ nobis vere accidentia sunt, quia nobiscum creata non fuerunt. Agnoscamus veram sapientiam, qua sapimus, quicumque sapimus, quidquid sapimus, etiam si eam non sapimus. Ad lucem lucentem in tenebris attendamus, ne tenebræ simus : quia lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Et tenebræ, inquit, eam non comprehenderunt ; imo potius non deprehenderunt. Quomodo enim incomprehensibilem comprehendere potuissent ? Et tenebræ eam non comprehenderunt.

Lux ergo quid fecit ? Lux lucem comprehendit. Et quæ est ista lux ? Utique si lux lucem comprehendit, lucem comprehenderunt, qui a luce lux facti sunt. Lucem comprehenderunt, qui a luce illuminati sunt. Lucem comprehenderunt, qui eam lucem super se in se susceperunt. Comprehenderunt similitudine, non comprehenderunt æqualitate. Hoc est ergo unum et verum lumen omnium spirituum rationalium, præcipue sanctorum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod sine diminutione sui ab omnibus participatur ; et cum idem sit in omnibus, non tamen ab omnibus eodem modo percipitur. Ipsum enim quidquid est, totum est, et ubique totum est ; nec minus aut majus in eo est, et tamen secundum participationis differentiam minus et

magis de illo percipiunt omnes, qui secundum conditionem suam aut donum gratiæ largitoris minus ac magis hujus ejusdem communicationis ac participationis capaces sunt. Participatio igitur alias major, alias minor est. Participatus autem non alias major aut minor; sed idem ipse totus ac plenus, et perfectus ubique est. Cum igitur animas sapientes dicimus, et sapientia sapientes dicimus, istam sapientiam cogitemus, et ipsam solam esse credamus qua sapiunt, quæcunque rationales mentes vim intelligendi atque discernendi perceperunt. *Hæc est, inquit, vita æterna, ut cognoscant te solum Deum; et quem misisti Jesum Christum (Joan. xvii).* Cognitio itaque Dei vita æterna est, et quid est cognitio Dei? nunquid accidens? Ergo amor Dei accidens est, et beatitudo accidens est, et in accidentibus est beatitudo nostra. Quare non magis Deus sit beatitudo nostra? Ipse est sapientia qua cognoscimus, ipse amor quo diligimus, ipse gaudium quo exultamus. Ergo una sapientia est qua omnes sapiunt, nec tamen uno modo sapiunt, quia participando sapiunt. Quod si omnes hac sapientia sapiunt quicumque sapiunt, multo magis hac sapientia sapit illa anima, quæ ipsi sapientiæ unita fuit. Quæ non sorte participationis ex illa viguit, sed privilegio unitatis plenitudinem possedit. Quid enim de sapientia minus habere poterat, cui ipsa plenitudo sapientiæ incorporata erat? *In quo, ait, inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (Coloss. ii).* De quo hoc dixit, nonne de Christo? Quomodo ergo in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis? Tres essentiæ sunt in Christo. Caro, anima, divinitas. Quid ergo habitat in quo? an divinitas in divinitate, an divinitas in anima, an divinitas in carne? Sed quid est, divinitas habitat in divinitate? Nunquid hoc aut congruum erat dicere, aut necessarium audire? Ergo in humanitate Christi habitat plenitudo divinitatis Christi. Quod si plenitudo divinitatis Christi, ergo et plenitudo sapientiæ Dei. Quid enim est divinitatis Christi nisi sapientiæ Dei? Ergo plenitudo sapientiæ Dei habitat in humanitate Christi. Ubi? in carne an in anima, an simul in carne et in anima? an in carne per carnem? in carne ergo sapientia habitaret, et non habitaret in anima. Absit! Sedes sapientiæ anima justi, et domus sapientiæ anima Christi. Et quid dixi, Domus sapientiæ anima Christi? Amplius dicere debui, si amplius dicere potui; quia enim sapientia in ea habitat, ideo domum dixi, sed quia corporaliter habitat, ideo amplius dicere debui. Quid est corporaliter habitat? Unum facta est cum illa in qua habitat, et per illam unum etiam cum illo in quo illa habitat. Quomodo unum? Non versibilitate naturæ, sed unitate personæ; una persona, non una essentia. Ergo incorporata est divinitas habitaculo suo, cui plenitudinem infundit, veritatem sociavit.

Sapientia ædificavit sibi domum, excedit columnas septem (Prov. xi). Quales? *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus*

scientiæ et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini (Isa. xi). Ecce columnæ septem in domo sapientiæ. Excidit columnas septem. Unde excidit? De monte excidit; de quo monte? De monte umbroso et condenso. De quo monte? Divinæ majestatis excidit columnas septem. Excidit, sed non abscidit. Accepit, sed non abstulit. Columnas de monte excisas in ædificium domus posuit, et tamen montem non minuit. Et quid mirum si sapientia ad fabricandam domum suam columnas erexit de monte excisas et a monte non separatas, quæ ad habitandam domum venit; et tamen unde venerat ibi permansit? Sapientia ergo ædificavit sibi domum. Qualem domum? De qua dictum est: *In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Et iterum: *In Christo complacuit omni plenitudinem divinitatis, inhabitare, et per eum reconciliari omnia, in ipsum pacificans per sanguinem crucis ejus; sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt (Coloss. i).* Videte quid facimus? Apostolus testatur plenitudinem ibi esse; et nos dicimus quod tota sapientia non est in domo sua. Ergo dimidia intus habitat, et dimidia foris. Et ubi quæretur, si domi non invenitur? In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Ubi plenitudo est nihil deest, ubi nihil deest totum est. Sed forte plenitudo divinitatis ibi est, et plenitudo sapientiæ non est.

Verum dicit: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (Coloss. ii).* Sed dicitis bene. Omnes thesauri sapientiæ et scientiæ ibi sunt; sed absconditi sunt. Portat et non videt. Absit autem ab intellectu nostro, ut sic sentiamus. Sed absconditi sunt, non ut ab eo abscondantur; sed nec in eo ab impiis videantur. Absconditi sunt, ut tempore opportuno proferantur. Absconditi sunt et reconditi sunt. Absconditi, ne per eum indignis aperiantur. Reconditi, ut in eo digne custodiantur. Reconditi sunt, ne offuscentur aliqua rubigine peccatorum, ne polluantur aliqua sorde criminum aut contagione vitiorum. Reconditi sunt velut in vase sincero, velut in habitaculo mundo, ne forte quis valeat eis maculam ingerere, et tunc incipiat opprobrium sustinere. *Apprehendent septem mulieres virum unum die illa dicentes: Panem nostrum comedimus, et vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum (Isa. iv).* Ergo reconditi in eo sunt, sed absconditi ab eo non sunt. *Deum, inquit, nemo vidit unquam. Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit (I Joan. iv; Joan. ii); si enarravit, et vidit. Unde hoc probamus? Qui de terra est, de terra loquitur; qui de cælo venit, super omnes est; et quod vidit et audivit hoc testatur (Joan. iii).* Ergo vidit. In quo vidit? in divinitate an in humanitate? Forte in divinitate vidit, in humanitate enarravit. Illi ergo qui audierunt in quo viderunt? Aut si non viderunt, quare audierunt? Vidit ergo in divinitate, vidit et in humanitate, tamen ex divinitate sunt? et illi quæ audierunt non nisi ex illustratione divini luminis videre

potuerunt. Erat igitur plenitudo divinitatis in anima Christi; erat et plenitudo sapientiæ in anima Christi; et ex plenitudine sapientiæ plene sapiens erat anima Christi. Ergo, inquiunt, tantam sapientiam habet anima Christi, quantum Deus habet. Quid facit comparatio? ubi unus solus est? Una est sapientia Dei, qua sapiens est anima Christi, nec participando sapiens est, ut hoc vel illud in illa, et per illam sapiat, sed plenitudinem habendo, ut totum possideat. Non ergo dicamus tanta aut quanta; sed dicamus tota sapientia Dei in anima Christi est, et ex tota sapientia Dei anima Christi sapiens est; nec tamen æqualis Deo anima Christi est, quia sapientia Dei non est. Porro longe aliud est sapientia sapere, et aliud sapientiam esse, quia qui sapientia sapit, quod habet aliunde accepit; quia sapientia est, ex semetipso habet quod sapit. Illic gratia, hic natura; et idem illic gratia, quod hic natura; nec tamen illic gratia naturam ad immensitatem commutat; nec hic natura ad mensuram gratiam coarctat. Qui ergo audeat dicere plenitudinem sapientiæ non fuisse in anima Christi, dicat plene sapientem non fuisse animam Christi. Tota igitur sapientia Dei erat in anima Christi, quia tota sapientia Dei unita erat et corporata animæ Christi, nec tamen æqualis Deo erat anima Christi. Non enim naturæ comparari poterat, quamvis sine mensura gratiam acceperat, quia cum immensa gratia erat passibilis natura.

Nam, illud quod intulistis, quod si habere æqualem cum Deo scientiam, etiam beatitudinem æqualem haberet, quomodo sibi non cohæreat, in præsentem nil attinet dicere, quia æqualitatem comparationis tollimus, ubi singularitatem unitatis demonstramus. Et longe aliud est idem habere, et idem esse, quia habere pertinet ad gratiam, esse pertinet ad naturam. Sed esto multitudo sapientiarum sive scientiarum comparationem admittat; nunquid æqualem beatitudinem facit æqualis sapientia? Ergo et major majorem, et minorem minor; et dæmones tanto hominibus beatiore sunt, quanto eos scientia antecedunt. Et quid de charitate dicam? *Scientia inflat, charitas ædificat* (I Cor. viii). Non ergo quicumque amplius sapiunt, statim de majori dilectione præsumere possunt; quia longe aliud est videre, et aliud est diligere. *Nunc, inquit, et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum* (Joan. xv). Nihil tamen hic interest, utrum æqualem notitiam cujuscunque rei æqualis amor comitetur, quia ubi una est sapientia, sicut non potest esse comparatio, ita nec æqualitas diversorum. Postea adjecistis et dixistis: Cum sapientia sit magnum et spirituale bonum, tunc si anima Christi æqualem habet cum Deo sapientiam, falsum erit Deum in omni bono majorem habere sufficientiam, quam ejus creaturam. Et deinceps: Sicut non potest creatura æquari Creatori, ita nec bonum unius bono alterius. Sed hoc bene et veraciter ibi dicitur. Ubi creaturæ bonum aliud atque diversum a bono Creatoris invenitur? Ubi

A vero unum et idem ipsum est, majus ac minus esse quod potest? Quod est enim verum bonum creaturæ præcipue rationalis aliud præter Deum? Aut quod est bonum Dei aliud præter ipsum? Si ergo verum et unicum bonum est creaturæ, Deus est; et bonum Dei aliud præter ipsum esse non potest. Nunquid idcirco Deus minor aut major seipso est, quia creaturæ suæ pariter et suum bonum ipse est? Cesset ergo tandem tam crebra repetitio comparationis, ubi singularitas est unitatis. Deinde ad comprobendam propositam assertionem adduxistis verba Apostoli, quibus astruere putatis minorem Deo sapientiam habuisse animam Christi. Dicit enim: *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in homine; ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei* (I Cor. ii). Ergo, ut videtur, non cognovit anima Christi; si nemo cognovit nisi Spiritus Dei. Nisi forte quis nobis respondere velit, et Christi animam fuisse Spiritum Dei? Quæ tamen sunt ista Dei quæ nemo cognovit nisi Spiritus Dei? Quæ nisi illa de quibus ibidem dicitur: *Deus, non vidit oculus absque te, quæ præparasti bona diligentibus te* (Isa. lxiiv). Quia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (I Cor. ii), etc. Ista ergo nemo novit nisi Spiritus Dei; et quid est quod sequitur: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum sanctum? Quem Spiritum? Subdit: Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum Christi, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (ibid.). Ergo ut Spiritus Dei Spiritus est Christi, et illi etiam noverunt quibus ea per Spiritum revelata sunt. Ergo anima Christi multo magis hæc novit, et plene ac perfecte novit, quæ ipsius Spiritus plenitudinem accepit. *Non, enim inquit, ad mensuram Deus dat Spiritum* (Joan. iii). *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (Joan. i). Nos etiam quicumque hæc noscere meremur, et quantumcunque noscere meremur, de ejus plenitudine, non plenitudinem, sed gratiæ portionem accipimus. *Pater, inquit, manifestavi, seu revelavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi* (Joan. xvii). Quid est revelatio hominis, nisi aspiratio cognitionis? Ergo ipse aliis nomen revelavit, cujus ipse cognitionem non habuit? Absit! Rursum: *Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, quem ego mittam vobis, docebit vos omnem veritatem* (Joan. xvi). Quare prius ipse ab illo Spiritu veritatis omnem veritatem magister non dedit, quem ad docendam omnem veritatem discipulis misit? Sed misit Spiritum, et Spiritum non amisit; cujus charismata hominibus fidelibus prout voluit distribuit, et plenitudinem ipse retinuit. Aliis eum infundit, sed eum a se non effudit; alios replens, se non evacuans; se non minuens, et alios ditans. Ergo quod Spiritus Dei novit, et anima Christi per Spiritum Dei novit, et plene novit, quia Spiritus Dei plenitudinem habuit.

Postremo quædam verba beati Ambrosii in medium adducisti, et ne assertioni vestræ con-

traire videantur qualiter intelligenda sive determinanda sint demonstratis. Dicit enim « animam Christi omnia habere per gratiam, quæ Deus habet per naturam. » Quibus verbis (fere) adjungendum esse putatis, ne si forte sine temperamento isto omnia prorsus quæ deitatis sunt, eam habere dixerimus, creaturæ quæ initium habuit æternitatem, et quæ terminum habet immensitatem, et quæ mutabilitatem habuit, atque passibilitati subjacere potuit, incommutabilitatem et cætera quæ soli divinæ naturæ competere noscuntur, tribuere videamur. Sed hæc determinatio, quamvis non omnino refutanda videatur, est tamen multo competentior et commodior expositio ad quam sententia hæc accommodari possit. Anima namque Christi idcirco omnia habere dicitur per gratiam, quæ Deus habet per naturam, quia plenitudo deitatis in Verbo ei unita est, ex tempore per gratiam, quæ in Deo ex æternitate fuit per naturam. Hoc ista ex tempore habet, quia accepit, quod ille ex æternitate habuit, quia fuit. Accepit non ut in ejus quod accepit naturam, mutata transiret; sed ut in ejus consortium sublimata ascenderet. Ista accepit quod non habuit; ille nec accipere potuit quod non habuit, nec desiit esse quod fuit. Quid ergo accepit anima Christi? Plenitudinem deitatis, plenitudinem sapientiæ, plenitudinem virtutis. Totum quod Deus est accepit. Quomodo accepit? Non versibilitate naturæ, sed firmitate personæ. Accepit non quia in illud essentialiter mutata est, sed quia ineffabiliter illa unita est. Accepit non ut illud essentialiter fieret, sed ut cum illo personaliter unum esset. Totum tamen accepit, et totum habet quod ille non accepit et habet. Ergo anima Christi æternitatem habet, si totum habet quod Deus habet? Qui? In? Ecce dicatur. Licet in omnibus necessarium non sit verborum usum ad ejusmodi admittere; immensitatem habet, æternitatem habet; habet omnia per gratiam, quæ Deus habet per naturam. Quomodo habet? forte quia dicimus æternitatem habet, quia dicimus immensitatem habet, hoc cogitemus, ut principio careat quod esse cepit; interminabile sit, quod circumscriptionem recepit. Nunquid etiam quia Deum habet ut Deus sit? Aut quia non est, ideo non habet? Quomodo tamen habet? Sed habet personaliter unita, non naturaliter insita; habet totum, non quod creatura æterna aut immensa esse possit, sed quod æterno et immenso unita sit. Quid enim est æternitas aut immensitas? Nunquid accidens? Ergo æternitas et immensitas Dei accidentia sunt? Absit! cum ergo dicitur Deus, hoc habet per naturam, intelligitur quod Deus hoc est. Cum vero dicitur, anima Christi hoc habet per gratiam, intelligitur quod illi unita est. Ergo totum anima Christi hoc habet per gratiam

A quod Deus est per naturam. Nec tamen inde sequitur, quod Creatori opus suum æquale sit; quia cum immensitatem gratiæ acciperet, conditionem naturæ non amisit. Accepit quod non habuit, sed non desiit esse quod fuit. Accepit plenitudinem sapientiæ, in qua et per quam plene ac perfecte sapiens esset; non tamen accepit ut sapientia esset. Et quid necesse est singula persequi? Breviter vobis quid mihi in hac re sentiendum esse videtur, ostendam. Plenam ac perfectam, et totam Dei sapientiam in anima Christi fuisse credimus; et ex ipsa sapientia eandem animam plene ac perfecte sapientem non ex ipsa participando, sed totam possidendo, quam singulariter concepit, et ineffabiliter comprehendit? Quare ineffabiliter comprehendit? quia secundum plenitudinem accepit. Joannes *lucerna* erat *ardens, et lucens* (Joan. v); hic lucem comprehenderat, quia tenebræ non erat. Sed quia ex parte comprehenderat, propterea ineffabilem illam in Christo comprehensionem comprehendere non poterat, sed ait: *Cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti ejus* (Joan. i). Ergo Joannes corrigiam Christi solvere non potuit. In illo enim erat de plenitudine accipere; supra illum plenitudinem comprehendere. Hoc itaque quod noverat dicere potuit, quod non conceperat credere elegit, discutere non præsumpsit. Noluit igitur ille unionem solvere, ne nos præsumatur unitati comparare. Quid nobis videtur? Nonne illi corrigiam incarnati Verbi solvere volunt, qui unitatem ineffabilis sacramenti differentia comparisonis dividunt? Anima igitur Joannis de plenitudine accepit, anima Christi plenitudinem comprehendit. Comprehendit dico non in æqualitate naturæ, sed plenitudine gratiæ et unitatis proprietate. Ecce dixi postulanti quod et jubenti debueram, quod magis in hac assertionem approbandum putavi. Sed in rebus dubiis si manifesta auctoritate non valeo, ab aliis quidem sic accipi volo, ut quærentum me adjuvent, invenientem non refutent. Quicumque autem in eo persistunt, ut hoc asserere contendant, quod alia fuerit illa sapientia, qua anima Christi sapiens exstitit; alia quæ animæ Christi unita fuit; ego nemini præjudicium facere volo; videant ipsi quo sensu hoc asserant, ne forte carnalis sit, magis sua quam vera pronuntias. Hoc unum ego indubitanter affirmo, quod aut alia sapientia præter divinam in anima Christi non fuit, aut si alia fuit, qualis illi non fuit. Hoc credenti qui non credit, non bene credit. Ad cætera ego non cogo, sed suadeo; in his qui mihi credit, mecum credit, qui mihi non credit, sibi credat, donec veniat ubi mecum credat. Sic tamen ut interim unusquisque in suo sensu humiliter abundare studeat, non arroganter præsumere. Vale.